

tum tam intellectualium, quam moralium, S. boni & immortalitatis &c. nanciscitur. Et in hoc significato variis in locis Aristot. hac voce usus deprehenditur, quemadmodum id more suo, id est accuratissime B. Doctor (ε) noster exponit. Præterea vocatur in Scholis Philosophicis forma immaterialis; (ζ) quæ scil. à materia in esse, fieri & operari non dependet intrinsecè, ut ex opposito formarum materialium elucescit, quæ essentialiter & in esse & in operari dependent à materia, quæ distinctio nullum planè vult admittere medium frustra id defendente Jacob. Martini. In aliis animæ titulis (η) non erimus nimis operosi, quos evolvendos in Philosophorum scribtis passim occurrentes relinquimus, ut sunt ψυχὴ ἀγέννητος, ἀμεγής ingenerabilis, Immista scil. corpore, aut aliquo corporeo, Inorganica. Porro dictam animam quoque Genium seu Dæmonem cognoscimus ex scribtoribus aliis, sed in duplici significato. Nam hoc nomen gerebat anima in corpore adhuc degens, cujus clarum præbet exemplum (θ) Apulejus dum ait: *quodam significato & animus humanus etiam nunc in corpore situs, Damon nuncupatur.* Hinc extitère nonnulli, qui Genios animas rationales interpretati sunt, ait (ι) Gyraldus. Quo sensu accipiendum illud (κ) M. Antonii Imperatoris: *συζῆ ἢ θβοῖς ὁ συνεχῶς δεικνύς αὐτοῖς τὴν ἑαυτῆ ψυχὴν ἄρεσκομένην μὲρ τῆς ἀπονεμομένης. Ποιῶσαν ἢ ὅσα βέλεται ὁ δαίμων, ὃν ἐκάστῳ προστάτην καὶ ἡ δαιμόνα ὁ ζῶς ἔδωκεν ἀπόπασμα ἑαυτῆ. ἔτθ ἢ ἔστιν, ὁ ἐκάστῳ νῆς καὶ λόγθ.* Id tamen non diffitemur, alibi eundem aperte (λ) à mente distingvere dicendo: *ὁ γὰρ τὸν ἑαυτῆ νῆν καὶ δαίμονα καὶ τὰ ὄργανα τῆς τέτῃ ἀρετῆς περιέειμθ, πρᾶγμῶς δὲ ποιεῖ, ἔσυναζει.* Secundò etiam Genius pro anima de-

A 3 functi

(ε) Excell. Dn. Zeifold. loco dicto d. Franc. Picolom. in lib. de hum. mente. (ζ) Pl. Rev. & Excell. Dn. D. Petrus Mus. in instit. Metaph. c. 22 §. 13. B. Stahliani instit. c. 19. (η) Vide Zabar. in lib. de mente hum. c. 9. (θ) lib. de Deo Socrat. adjunge Virg. lib. Æneid. 9. v. 184. & 185. (ι) Syntag. 15. Hist. Deorum. (κ) lib. 5. de seipso c. 9. (λ) lib. 3. c. 6. de cuius opinione vide August. lib. 7. de C. D. c. 13.